



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica decima quinta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

## Dominica XV. post Pentecost.

### EXHORTATIUNCULA I.

Quām inscrutabilia sunt Dei judicia !  
Q defunctus hodie effertur , & hic  
unicus filius Matris suæ. Mors parcit ne-  
mini. Rapit æquè rosas & flores, quām  
fœnum sterile & aridum. Fili ! ne  
noceat animæ , nostra sit cura unica.  
Verūm animam mors non perdit, sed ma-  
lavitæ , abeuntque felices , quorum sine  
crimine vita est. Cato.

### Inſtruētio meritoria.

Quæ autem sine crimine vita ? si fre-  
quentiori confessione emundata ; si  
quotidiano examine nocturno ritè per-  
lustrata , & in amore ergà Deum, ac hor-  
rore ergà omne peccatum de novo ob-  
firmata. ita fiat ! consilium est : non re-  
spuamus. Hinc extraordinariam con-  
fessionem instituamus cum certis operi-  
bus supererogatoriis. Communis vita  
si non ferveat , displicet Deo.

### II.

S Umus & nos ex discipulis Christi. Ita  
nostra sunt vota. At si Christum

non sequamur ubique, uti factum in ho-  
dierno Evangelio à primis Apostolis, in-  
digni sumus hoc nomine. Non audi-  
da ergò corrupta voluntas. Abneganda  
est. Præcedit Jesu imitatio, & sequela.  
Servus sit major Domino? obstupescite  
cœli super hoc!

*Instructio meritoria.*

Sed quomodo abnegabimus nos, &  
nostra omnia? desideriis veniendi post  
Christum ardentissimis: Oblivione pro-  
priæ commoditatis: Contemptu tem-  
poralium, & amore cœlestium. Reci-  
temus igitur Psalmum: *Eructavit cor*  
*meum Verbum Bonum: Dico ego opera*  
*mea Regi.* Quid triste nobis accidat, si  
adhæreamus duci, & Magistro nostro?  
gaudia omnia, quæ infrà Jesum sunt,  
vel mendacia sunt, quæ decipiunt, vel  
inania, quæ non satiant.

III.

**M**iseretur Christus plorantis mulier-  
culæ, & filium reddit matri suæ.  
Est fortè & inter nos, qui nostrâ cha-  
ritate, & misericordiâ indiget? fili! ape-  
riamus manum, expandamus sinum, de-  
mus

mus consolationis, patientiæ, & man-  
suetudinis verbum. Hæc lex evangelica.  
Quâ mensurâ mensi fuerimus, remetie-  
tur nobis.

*Instructio meritoria.*

Reflexè attendamus, ut hodie ne-  
minem (præcipuè nullum ex superio-  
ribus, vel confratribus) offendamus, sed  
ubique debitam in eos charitatem, & re-  
verentiam promoteamus, verba offen-  
siva, acuminosa, & pungitiva impedia-  
mus, & omnium paci, ac tranquillitati  
studeamus. Quapropter coram San-  
ctissimo, vel in cubiculo coram Crucifixo flexis genibûs *Litanias de omnibus*  
*Sanctis* offeramus pro stabilienda in cor-  
dibus nostris perpetua charitate, man-  
dante Christo Jesu: *Mandatum novum*  
*do vobis, ut diligatis invicem, sicut di-lexi vos.*

Dominica XVI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi! consideret, obsecro, quomodo  
invidi Pharisei omnia Christi ob-  
servent vestigia, ut invenirent materiam,

F 7 eun-